



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi
Thomæ**

Suárez, Francisco

Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621

Cap. I. De Scientia Dei de seipso.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

ad nomina, quæ significant Deum sub ratione cau-
sæ, quod etiam notavit Clémentius in Damascen.
Vel certe intelligendum est de nominibus, quæ
adiectiue dicuntur de Deo, ut cum dicimus, Deus

est sapiens, iustus, bonus, nam inter hæc merito
præfertur Bonus, non vero respectu eorum nomi-
num, quæ substantiæ DEVM eiusque naturam si-
gnificant.

Finis Libri Secundi.

INDEX CAPITVM LIBRI TERTII DE ATTRIBVTIS DEI PO- SITIVIS.

Cap. 1. De Scientia Dei de se ipso.

Cap. 2. De Scientia Dei rerum possibilium.

Cap. 3. De Scientia Dei rerum futurarum.

Cap. 4. An Scientia Dei sit practica.

Cap. 5. De Diuinis ideis.

Cap. 6. De voluntate Diuina.

Cap. 7. De Actibus voluntatis Diuinae.

Cap. 8. De voluntate antecedente, & consequente.

Cap. 9. De Omnipotentia Dei.

Cap. 10. De Providentia Dei.

LIBER TERTIVS DE PROPRIETATIBVS, QVÆ PO- SITIVAM PERFECTIONEM DEO ATTRIBVNT.



D tria præcipua capita reuocari videntur hæc affirmatiua, seu positiva attributa, videlicet, ad Scientiam, Voluntatem, & potentiam. Quorum sufficientia summi potest ex conditione naturæ intellectualis creatæ, per cuius analogiam, vel comparationem res diuinas explicamus, ablatis imperfectionibus, & addita in omnibus summa excellentia, & perfectione. In rebus ergo intellectualibus duas facultates intelligimus, quæ proprios actus internæ vitæ eliciant, scilicet, intellectum, & voluntatem, quibus additur aliqua potentia, operatiua extra ipsamet substantiam intellectualem. Et præter has nullam aliam inuenimus, quæ in suo conceptu formali dicat perfectionem sine imperfectione. Nam licet Angelus habeat potentiam ad se mouendum, illa imperfectionem inuoluit, & licet anima rationalis in corpore alias facultates habeat, nulla earum dicit perfectionem simpliciter. Tres autem superiores in sua ratione formali abstrahi possunt ab omni imperfectione, vel quoad potentias ipsas, vel quo ad actus earum. Et ideo tantum illa tria DEO proprie attribuuntur, & significantur per illa tria, scientia, voluntas, & potentia, & ad hæc reducuntur omnia, ut ex discursu huius libri constabit. In quo de his attributis breuiter dicemus, quia in alijs nostris operibus multa de illis diximus, quæ suis locis designabimus.

CAPVT I.

De scientia, quam Deus de se habet.

D hoc attributo, quatenus ratione naturali cognosci potest, asserui in Metaphys. Dispu. 30. sæpe citata sectio. 15. Et in primis suppono, sermonem esse de scientia, ut dicitur clarum, & euidentem rei cognitionem intellectualem, & immaterialem, abstrahendo à ratione accidentis, qualitatis, habitus, & cu-

iuscunq; potentialitatis. Quo sensu euidentissimum est naturali lumino in Deo esse scientiam. Quod et in Deo essiam nostra fides confirmat Esther 14. *Domine quis habet scientiam, bes omnem scientiam.* Ecclesiast. 24. *Cognouit Dominus & liber 14. omnem scientiam.* Iob vigesimo primo. *Nunquid Deum Eccles. 24. docebit quisquam scientiam.* Denique ipsamet scriptura, *Iob 21. ut diuina esse possit, supponit in Deo scientiam, alias quomodo contineret verba Dei, cum nemo loqui possit, nisi qui cognitionem rationis, & intellectus habet, quam nunc scientiam appellamus. Ratio à priori est, quia Deus est in perfectissimo, & supremo gradu, qui à nobis cogitari potest, nam licet sit etiam ultra omnem ordinem rerum creaturarum, tamen quatenus cum illis potest habere aliquam formalem conuenientiam, licet analogia, dicitur esse in supremo gradu, sed hic gradus est intellectualis, ergo. Atque ita supra libr. 1. capite tertio, simili discursu conclusimus, Deum essentialiter esse intellectualem. Ad di vero potest ex dictis eodem libro primo, capite 45. & sequentibus, Deum ita esse essentialiter intellectualem, ut per essentiam habeat omnem actualitatem intelligendi, quia in omni perfecta ratione entis, & præsertim in illo gradu, est perfectissimus actus. Ex quo principio intuli in citato loco Metaphysicæ, non esse in Deo scientiam per modum actus primi, sed per se, & connaturaliter esse in actu secundo, vel potius esse ipsum actum secundum, non elicitum vere ab actu primo, sed per essentiam, ac per se subsistentem. Quæ omnia, & satis clara sunt, & in dicto loco sufficienter tractata.*

His vero addendum est, hæc omnia maxime conuenire diuinæ scientiæ, quatenus est de ipsomet DEO, eiusque natura, ac de omnibus, quæ intra ipsum vere, ac realiter sunt. Quamuis enim scientia, quam DEVS de se habet, non distingatur in re ab ipso: nihilominus quatenus scientia est, intelligitur à nobis versari circa aliquod obiectum, quia omnis scientia necessario esse debet de aliqua re icibili. Primum ergo obiectum diuinæ scientiæ est D & VS ipse, quia se per se ipsum intelligit, & sibi est continētissimus

Cap. II. Quasi scientia cognoscat Deus, &c.

D. Thom.

3-
Scientiam
conuenire
Deo cum
summa ex-
cellencia.

1. Tim. 6.
Ivan. 1.
Dionys.

D. Thom.

5.
Dionys.

Scientissimus cum summa actualitate, & immaterialitate, ideoque nihil intelligere potest prius, quam se, se autem aliquo modo prius saltem ratione cognoscit, quam cetera, vt infra dicemus. Item nullum est obiectum ita intelligibile, sicut Deus, nec tam intantum suae intellectioni, cui est omnino necessario coniunctum. Maxime ergo Deus habet scientiam sui ipsius. Scit ergo Deus per illam scientiam, quidquid in ipso est. Item scit illud perfectissimo modo, & propterea merito dicitur, se comprehendere, vt notauit Diuus Thomas dicta quaestione 14. articulo 3. & supra tetigimus libro 2. cap. 5. & 29. tractando de incomprehensibilitate, & ex dictis in sequentibus capitulis amplius declarabitur.

Tandem concludendum est, huic scientiae, quatenus est de Deo ipso conuenire cum summa excellentia perfectiones omnes, quae in scientia desiderari possunt. Nam in primis est de nobilissimo obiecto. Secundo est adaequata illi, & comprehensiuua eius. Tertio est perfectissima, non solum, quia substantialis, & actualissima est, sed etiam, quia habet omnes perfectiones, & proprietates scientiae, vt scientia est in perfectissimo gradu. Sunt autem huiusmodi proprietates, in primis veritas, quam constat in scientia primae veritatis de se ipsa summa esse. Deinde est claritas, & euidencia, a qua non separatur, nam haec est perfectio simpliciter, & ideo non potest deesse Deo, qui lucem habet inaccessibilem, imo qui solus est, lux vera, quae illuminat omnem hominem, vt dicitur Ioh. 1. & late prosequitur Dionysius de Diuin. nomin. Præterea est illa scientia summe necessaria, & inuariabilis, vt terminatur ad Deum, sicut enim illam nunc consideramus, infra vero ostendemus respectu omnium obiectorum habere has perfectiones. Quia in intellectu perfectio magna est, semper in actu esse, maxime vero hoc est necessarium in scientia Dei, vt est de ipso met Deo, quia Deus est obiectum summe intelligibile, & ipsum intelligere Dei etiam est ex se necessarium, & inuariabile, cum sit esse per essentiam, ergo illud intelligere, quatenus est scientia talis obiecti, est summe necessarium, ac inuariabile. Et ideo per illud procedere potest verbum infinitum, & immutabile, quod sit verus Deus, vt infra videbimus.

Denique est illa scientia simplicissima sine compositione, siue discursu, aut alia simili imperfectione. Quia nec infinita capacitas diuinæ mentis capax est similitum imperfectionum, nec obiecti simplicitas illam admittit, cum cognoscitur, prout est in se, & modo perfectissimo. Neque obstat, quod illa scientia summa veritatem habeat in ordine ad tale obiectum, vt diximus. Idque fit non solum apprehensio, sed etiam iudicatio, vt vera ratio scientiae postulat. Nam haec omnia possunt esse in simplicissima cognitione, & intuitione, ac comprehensione rei simplicis prout in se est. Nam per illam simplicissime indicatur, rem ita esse, sicut est; vt dixit Diuus Thomas 1. part. q. 6. art. 5. ad 1. Et in disp. 8. Metaphys. sect. 3. in fine tetigimus.

Circa totam hanc doctrinam non inuenio difficultatem alicuius momenti, solum de actibus liberis Dei, dubitari potest, quomodo per hanc scientiam cognoscantur. De qua re aliquid tetigimus in libr. 2. occasione scientiae beatorum, & aliquid addemus cap. 3. nam illa difficultas coniuncta est cum scientia, quam Deus habet de creaturis futuris. Inquiri etiam hic potest, an haec scientia quam Deus de se habet, possit dici scientia, quia, vel propter quid. Dico tamen breuiter, neutram dici posse proprie. Non quidem dici potest scientia quia, quia haec est imperfecta & per medium extrinsecum. Cognoscit quidem Deus dependentiam suorum effectuum a se, vt in fra dicemus: vnde et scit se posse ab alijs cognosci per effectus suos, ipse autem non se cognoscit per effectus, quia illa cognitio imperfecta est. Non est etiam scientia illa propter quid, quia haec est scientia per causam; &

Deus non habet causam. Est igitur alior scientia que potest dici per se ipsam, & ita dicit D. Thom. q. 14. art. 2. & 3. Deum intelligere & comprehendere se per se ipsum. Vnde negatiue potest dici esse propter quid, quia est per ipsam quidditatem rei, quae aliam causam non habet, sed per se se talis est.

Reliqua de hac scientia sufficienter tractata sunt in citato loco Metaphysicæ. Nonnulla vero quae sunt propria huius scientiae, vt in ea & per eam potest esse productio verbi, dicuntur in tractatu de Trinitate.

CAPVT II.

Deficientia, quam Deus habet de creaturis vt possibilibus.

In hoc puncto non est difficultas, quin Deus haec omnia cognoscat, nam euidentibus rationibus illud probatur, vt in dicta disputatione 30. Metaphys. sectione 15. ostendi numero 22. & sequentibus. Et in Scripturis est notissima. Dicitur enim ad Hebraeos 4. Non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius, & ad Coloss. 2. In quo sunt omnes thesauri sapientiae, & scientiae. Et Roman. 4. de Deo dicitur, Vocat ea quae non sunt, tanquam ea quae sunt. Vbi vocandi verbum, aut significat cognitionem, aut supponit, quia non posset Deus vocare, quae non sunt, id est, iubere, seu facere, vt sint, nisi ea praecognosceret. Vnde etiam certissimum est, habere Deum scientiam de omnibus rebus, quae fieri possunt secundum proprias rationes earum, propriasque differentias, quibus inter se distinguuntur, alioquin non posset illas producere: Quia nisi cognosceret eas secundum esse proprium possibile, sed solum secundum esse, quod habent in Deo, hoc non esset creaturas cognoscere, sed se tantum, vt laius in citato loco Metaphysicæ profecuti sumus. Et dicemus etiam in capite sequenti, vbi omnes alias proprietates illius scientiae attingemus, de quibus eadem est ratio in creaturis possibilibus, vel aliquando futuris.

Solum de modo, quo Deus scit has creaturas posibles, est aliqua controuersia inter Theologos. Nam licet omnes conueniant in hoc, quod Deus non accipit hanc scientiam à creaturis, nec indiget extraneo principio, specie, aut actu, vt illas cognoscat, sed omnia cognoscit per suam substantiam, & essentiam, quae sufficiens est ad omnia intelligibilia representanda. Nihilominus in modo explicandi hanc scientiam non satis inter se conueniunt: varijs enim modis intelligi potest Deus cognoscere creaturas posibles in sua essentia, vel per illam. Primo cognoscendo illas in se tanquam in causa, ita vt ipsa essentia sit veluti medium cognitum per quod creatura quoad suas essentias, & existencias posibles cognoscuntur. Secundo, cognoscendo illas immediate ex vi suae essentiae habentis nostro modo intelligendi vim speciei intelligibilis impressae, & expressae ad representandas illas non mediante essentia, sed immediate. Tertio quasi per reflexionem nostro modo intelligendi, quia, nimirum, in scientia Dei prius secundum rationem intelligitur esse quasi verbum, seu conceptus expressus creaturarum, & deinde Deus intuendo se ipsum, vt talis conceptus, & notitia est, in se tanquam in imagine expressa, creaturas representatas intuetur. De his ergo modis, quid sentiendum sit breuiter dicam, quia de hac re in 1. tomo 3. par. & praecedenti libro capite 26. multa dixi, & in fine libri 9. de Trinitate tractando de processione Verbi Diuini, aliqua necessario attingenda sunt.

D. Thomas vbi cumque de hac scientia Dei agit, primo tantummodo illam explicat, vt videre licet 1. par. q. 14. art. 5. & idem supponit q. 12. art. 7. & 8. Idem

D. Thom.

1.
Habere Deo
scientiam de
omnibus re-
bus.
Hebr. 4.
Coloss. 2.
Rom. 4.

2.
Punctum
difficultatis.

Handwritten notes on the right margin, including "D.V." and other illegible characters.